

30
BARTHOLOMÆI

Pitisci Grunbergensis

TRIGONOMETRIÆ

LIBER SECVNDVS.

*De necessariis ad dimensionem Triangulorum, tabulis
Sinuum, Tangentium & Secantium.*

I. Triangula sic sunt. Dimensio Triangulorum est igno-
torum in Triangulis five laterum, five angulorum, ex notis
tribus, five lateribus, five angulis, five puris, five mixtis, inven-
tio. *Dicitur etiam solutio Triangulorum: item calculus Triangu-
lorum.*

*(Sunt in Triangulis præter angulos & latera, etiam area. Sed illarum
dimensio neq; Triangulorum est propria. Nam & aliarum quarumcunq; fi-
gurarum areas metimur. Neq; primò Triangulis inest: sed à quadrangulis ad
Triangula derivatur. Ideo huc non pertinet.)*

II. Dimensio Triangulorum perficitur per auream A-
rithmeticæ regulam: quæ docet de quatuor numeris inter
sefe proportionalibus, datis tribus quibuscunque reperire
quartum.

III. Ergo ad dimensionem Triangulorum & proportio-
nes omnium Trianguli partium inter sefe certas, & easdem
numero explicatas esse oportet.

IV. Proportiones omnium Trianguli partium inter sefe
certæ esse non possunt: nisi, quicquid est in Triangulis cur-
vilineum: (ut sunt in universis, mensuræ angulorum, & in
sphæricis etiam latera) ad lineas rectas reducatur. Nam curvi
neq; ad curvum, neq; ad rectum inventa est huc usq; propor-
tio: neq; fortassis invenietur unquam.

V. Cur-